

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0942

0940

0946

0936

369

quartum est ostium, in medio est temperatum. Porro ipse balneator humanissime et curialiter balneantibus ministrat frequenti fricatione et lotione et unctione cum smegmate (**b**) vel alio convenienti unguento; nam invalidudines membrorum unguentis curant in balneis. Si quis dolorem patitur ex casu aliquo, locum doloris fricat, inungit, stringit et dilatat balneator et dolorem vel curat vel mitigat. Similiter si quis conqueritur se pati in aliquo membro dolorem, ut in brachio, crure, manu vel pede aut collo, miro modo medentur hujusmodi, et contractionem membrorum, podagram et chiragram, arenam, calculum magna arte in balneis repellunt. Ita etiam, cum quis conqueritur, se circa pectus pati constructionem et anhelitus abbreviationem, diligenti labore conantur cum sanare. Nec agunt hoc simpliciter considerando alicui ad latus, sed patientem accipiunt et ad medium balnei super pavimentum ipsum supinum prosternunt, vel pronum, vel ad latus, secundum exigentiam doloris, et balneator super eum sedens locum doloris contrectat, brachium dolens leniter curvat et recurvat, collum stringit et restringit. Vidi semel, quod quidam Aethiops in balneo curam petiit, dicens, se pectus constructum habere, quem balneator in dorsum posuit super pavimentum et super ventrem ejus sedit et ambobus manibus collum ejus adeo strinxit, quod in vultu intumescere coepit, quia totaliter sibi anhelitum retinuit et tam diu sic eum tenuit, quod ego timui, hominem esse suffocatum, aures etiam sibi bombyce obstruxerat. Tandem autem cum eum dimisisset et spiritum resumisset, gaudebat ille, dicens, se fore curatum. Delectabile est videre illa. Multa curant sic in balneis, quae apud nos aestimantur quodammodo incurabilia, vel propter quae nos adimus thermas, et multis expensis et pluribus diebus ibi laboramus, quod ipsi in una dimidia hora expedient. Verum videtur mihi, quod sic curando utantur etiam incantationibus; nam cum praedicto modo curae insistunt, continue loquuntur cum se ipsis et nescio quae verba in aures patientis dicunt et per omnia mores incantantium habent.

In balneo nullo modo convenient viri et foeminae, sed foeminae habent propria balnea pro se, et viri similiter; nec viri habent fricatrices, nec mulieres fricatores, sed viri viris

24

0441

Ende

Anfang

